

Membr. 2. Cap. 8. De Philosophia Sermocinali. 225
am habet & proficitur: modò reale sit, & solidum quodcun-
que subest, nec superficialia terminorum tantum intelligen-
tia, sed effatorum & ipsarum rerum Scientia. Unde sapien-
ter admodum vulgò distinguim⁹ inter *Philosophiam secundum*
essentiam in se spectatam; & *secundum existentiam* prout in
hoc vel illo subjecto est, consideratam. Et tantum de Phi-
losophiâ morali.

CAPUT VIII.

De Philosophia Sermocinali.

§. I.

SEquitur *Oratio*, Mentis humanæ proprium per organa
corporis effectivum, quæ considerari potest vel secundum
essentiam vel secundum affectiones. Essentiæ duo principia
sunt, unum *materiale*, alterum *formale*. *Materiale* est vel
primarium & velut archetypum, ut *sonus oralis* absolutè & in-
determinatè spectatus, unde *Orationis* nomen primum deflu-
xit; vel secundarium & velut eotypum, ut *ductus lineares* di-
stinctè visibiles, à quibus oratio dicitur *Scriptura*. *Forma*
est vel corporalis, vel animalis. *Forma corporalis* ab organis
corporis dependet, & est *Articulatio* (primariò soni, sed re-
præsentativè ductuum linearium) quâ sonus oralis instar ma-
teriæ tanquam principii indeterminati certo instrumentorū
loquelæ sitū, certoque halitū respirabilis impulsu, figura-
tur, atque ita distinctis modulationibus determinatur, ut &
secundum totam & secundum partes in quas dividitur di-
stinctè percipiatur. *Forma animalis*, quæ & *notionalis* dici po-
test, ab ipsa mente dependet, & est *Significativitas* ex imposi-
tione, qua sonus articulatus, præterquam quod corporalem
jam habeat orationalitatis actum, vitâ quasi donatur, ut ani-
mali velut *ἐν τῷ λεχέει* fruatur.

§. 2. Scilicet ut in genere rerum physicarum, si materia
partium figurationibus certo modo disposita, atque ita per
formam merè naturalem determinata fuerit, certa quidem
Entis naturalis species, *corpus organicum*, constituitur; acce-
dente verò per Divinum velut afflatum aut nutum spiritu
vitali,

Orationis
I. Principia
(1) essentialia, sunt
Materiale,

Formale,

Exemplo ve-
rum physi-
carum.

Ff

vitali,